



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Administrare Sacramentum in statu peccati mortalis, est-ne peccatum mortale?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

32 TRACTATUS I.

xerit, *Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, qua ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

D. Tho. 3. p.  
q. 64. art. 5.  
in corp.

Dicendum, inquit Divus Thomas, *Quòd Ministri Ecclesie instrumentaliter operantur in Sacramentis, eò quòd quodammodo eadem ratio est Ministri & instrumenti. Instrumentum autem non agit secundùm propriam formam aut virtutem, sed secundùm virtutem ejus à quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus Medici ( quod est instrumentum animæ habentis artem ) sit sanum vel infirmum; & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea: unde Ministri Ecclesie possunt Sacramenta conferre, etiam si sint mali, sive in peccato mortali.*

*Quæst. 2. Administrare Sacramentum in statu peccati mortalis, est ne peccatum mortale?*

*Resp. Hoc peccatum non videtur posse esse leve, quia is qui eum committit, per malitiam non reveretur ut par est Deum in sacratissimis ejus Mysteriis; & sicut ille qui est inimicus Principis, non est capax aut idoneus, ut favores ejus, gratiasque aliis distribuat, nec id facere potest, sine nova Principis indignatione, temerè se talibus officiis ingerendo; ita qui sibi conscii sunt peccati mortalis, ac proinde inimici Dei, graviter eum offendent, quoties in eo statu audent ministrare Sacramenta; unde in Levitico dicitur: *Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.**

Levit. cap.  
21.

*De Sacramentis. Cap. VI. 33*

Et sanctus Augustinus relatus in Canone ait :  
Ego dico & nos dicimus omnes , quia justos oportet esse omnes per quos baptizatur. Justos oportet esse tanti iudicis Ministros , si ministrare justè voluerint , hoc est sine peccato : & alio in loco dicit : Omnia Sacramenta cum obsint indignè tractantibus , prosunt tamen per eos dignè sumentibus.

Dicendum , inquit Divus Thomas , quod aliquis in agendo peccat , ex hoc quod operatur non secundum quod oportet. Conveniens autem est ut Sacramentorum Ministri sint justi , quia Ministri debent Domino conformari secundum illud Levit. 19. SANCTI ERITIS QUONIAM EGO SANCTUS SUM. Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se Ministros Dei & Ecclesie in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum , quantum est ex parte ipsius peccatoris , licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint : Consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. In articulo tamen necessitatis , inquit idem Doctor , non peccaret baptizando , in casu quo etiam posset Laicus baptizare : sic enim patet quod non exhiberet se Ministrum Ecclesie , sed subveniret necessitatem patienti ; secus est autem in illis Sacramentis qua non sunt tanta necessitatis sicut Baptismus. Secundum hanc Divi Thomae doctrinam asserere possumus , quod Laici administrantes Baptismum in casu necessitatis , non peccant , etiamsi tunc sint in peccato mortali.

Quaest. 3. Sacerdos tenetur-ne examinare suam conscientiam priusquam administret Sacramentum ?

Can. Baptismus. De Consecrat, dist. 4.

S. Aug. lib. 23 Contra Parmenian. cap. 10.

D. Tho. 3. p. q. 64. art. 6. in corp.

Ibidem ad 3.